

Dela lib. a. m. Colom. R. Aienca.

CHRIST: VARSEVICII C.C.

CÆSARVM,

REGVM, ET PRINCIPVM,

VNIVS ET EIVSDEM PARTIM GE-

neris & nominis, partim etiam imperij ac dominationis,

Vitarum Parallelarum,

LIBRI DVO.

Quod quorum quodque continet versa pagella monstrabit.

Accessit rerum & verborum memorabilium locu-  
pletissimus index.



CRACOVIAE,  
In Officina Iacobi Sibeneycher.  
Anno Dñi. M. DC. III.

## Primo libro continentur.

Vita  
Darij primi.  
Darij vltimi.

Regum Persarum.

Vita  
Augusti Cæsaris.  
Augustuli ex Italicio  
vltimi Cæsaris.

Cæsarum Romano-

rum.

Vita  
Constantini primi.  
Constantini vltimi.

Cæsarum Constanti-  
nopolitanorum.

Vita  
Caroli Martelli primi.  
Caroli Martelli vltimi.

Regum Francorum.

Vita  
Berengarij primi.  
Berengarij vltimi.

Regum Longobardo-  
rum.

## Libro altero continentur.

Vita  
Balduini primi:  
Balduini vltimi.

Regum Hycrosolimita-  
norum.

Vita  
Alphonsi primi.  
Alphonsi vltimi.

Regum Arragoniorum  
& Neapolis.

Vita  
Iagellonis primi.  
Iagellonidis vltimi.

Regum Polonorum.

Vita  
Francisci primi Sforziæ.  
Francisci vltimi Sforziæ.

Ducum Mediolanen-  
sium.

RUDOLPHO II. CÆSA-  
RI AVGVSTO, HVNGARIÆ  
BOHEMIÆQ. REGI, ARCHIDV.

CI AVSTRIAÆ &c. &c.

CHRISTOPHERVS VARSEVICIVS C. C.  
fælicitatem sempiternam.



VOD OLIM BASILIUS ORIENTIS Imperator, Auguste Cæsar, Leonis suo suadebat illi filio, ne veterum legere & cuoluere historias, vel minimum grauaretur; paruo labore quod illi magno congesserant perspecturus, bonorum virtutes, maiorumq; vitia, tum varios humanæ vitæ casus, rerumq; ac temporum vicissitudines; ac deniq; Regnorum & Imperiorum mutationes, ex multis quam ex consiliariis viuis rectius cognitus. Id equidem quoq; videre videor mihi conuenire: vt quantus quantus sum, qui scio quam ratione tui sim semperq; fucrim nullus, præsbyter quidem certè, rogem obtesteriq; te, Ut historiam actionum tuarum omnium, veluti quandam habeas cynosuram; testem bonorum aut secus morum, nunciam eventuum, pedissequam Diuinorum oraculorum, & lucem ac thesaurum veritatis. nihil enim falsi audet, nec veri non audet dicere historia: cuius scriptori ante illud supremum tribunal reddenda crit ratio, & nullis proorsus mendis aut assentatione scatere debet narratio. Ad cuius quidem ego historiæ exemplum magno Imperatore dignū, offero tibi librum Cæsarum, Regum, & maximorum Principum vitarū Parallellarum; quod non propterea facio, vt de te suspicer (quod absit) aliquid malū; qui bona lætaq; omnia, & optare & sperare volo atq; debeo, sed vt (quemadmodum facis) diuinam in humanis rebus agnoscas potentiam, & tam lætos

C. VARSEVICH C. C.  
DARII PRIMI  
REGIS PERSARVM  
VITA.



MPORTVNA CAMBYSIS CYRI PER-  
sarum Monarchiæ primi conditoris filii, in Ægypto  
absentia, & crudelissimus per omnia dominatus, Da-  
rii Histaspis filii, primi eius nominis Persarum Regis  
causam & occasionem postacrem disceptatione præ-  
buit electionis; ut primum quidem, à septem interfectoribus Magis,  
vnius in Perside imperium potissimum probaretur. Regnabat tum  
Romæ Tarquinius, ab vrbe condita supra ducentesimum tertio &  
trigesimo, cùm eodem illo tempore Darius imperium in Satrapias di-  
uisiisset, & tributa imposuisset populis, pluresq; simul uxores ducen-  
das esse regibus suo exépto non obscurè ostendisset. Nam ad eorum  
nuptias, amplissimis dimissis legationibus, circum vicinos Principes  
inuitabat, & id quodam modo honori gloriæq; sibi aestimabat. Cu-  
jus mentione sacrae etiam literæ honorificam faciunt, hoc ipso ma-  
xime nomine, quod facultate prosequendi ædificationem Hyeroso-  
limis templi Iudeis perbenigne cōcesserit. Iam verò, cùm secum ipse  
expenderet, nec quietem sine armis, neq; arma sine stipendiis, neq;  
stipendia sine tributis, posse haberi; primus omnium Persis pecuniam  
imperauit, vnde etiam propolam & institorem vulgo eum quidā ap-  
pellabant. Sed ille nihilominus ea moderatione vtebatur, ut non ad-  
modum, vel hac quoq; in parte ipsa, immoderatus aut iniquus spe-  
ctaretur. Nihil autem est ita graue, quod Reipub: necessitate vrgente,  
& consuetudine in populis non alleuetur patiënti. Quo magis-  
tiam quosdam, qui eius rei gratia contra eum cōspirauerat, coercuit,  
& per Paralangas, quo nomine triginta in Perside stadia contineban-  
tur, tributa conferre prouinciales iussit, & tributarias functiones in  
xx. partes distribuit, & nec ignavum, nec impotentem suis se esse Do-  
minum facile omnibus est testatus. Cuius historiam texere nostri in-  
stituti non fuerit, sed satis sit dixisse, magnū & memorabilem regem  
cum fuisse, & bene administrato regno cum laude, nec ita immatu-  
ram morte, ex hac vita excessisse. Vixit enim annos, cùm regnare in-

A

cepisset

indigni diuina misericordia, qui in mundo immundo nobilitati cipiunt animi impotētia. Sicut ille qui in æde D. Stephani occisus est Sforzia, qui cùm canibus obiieceret pucros & illi maectare ipsos noluissent, tandem ut satellites eos occiderent imperabat. Deus quippe penes quem summa potestas reseruauit sibi tria, Honorem, Iudicium, & Ultionem; quæ semper erunt his qui sibi illa præter eum vendicauerint, in illo iudicio extremo & tremendo cōtraria, cùm omnia omnium nominum, tam muta quam loquentia, contra nos clamarunt, nosq; de minutissimis non solum dictis & factis, verum etiam cogitatim rigidè accusabunt.

F I N I S.

## C. V. C. C. Lectori S.

**Q**ui historiam posthumam dixit debere esse filiam, næ ille perperam dixisse, & omnia in rebus minutatim videtur dispexisse. Ideo enim historiam quoad vixeris edas, edisse ut non frustrate procul dubio ostendas; & si alicubi in aliquo erratum est, monitus corrigas, & hic quam ante illud supremum tribunal potius crubescas. Difficile est placere cunctis, nec autem desiderandum vniuersis, maxime vero iis qui antequam aliquid legerint, iudicium ferre; & antequam omnia euoluerint, soliti sunt condemnare. Sed si nihil his commendationibus commendationis habeas aliud, ipsa fuga ocii, & quod scribendo legenda, legendis discis scribēda peccari antidotum habueris salutare. Quod utinam intelligent intusq; legant plures, quibus & plus luculentioris ocii, ac fortasse est & ingenii, modo in aucepāndis opibus, aut voluptatibus, non querant plus encōmii: si non potius fastidii & exitii sempiterni. Vivere namq; & bibere magnum est discrimen. Ego quod ad me quidē attinuerit, pro mea tenui & infirma parte, quæ possum præsto; ad Christi primū, deinde etiam ad Poloni nominis gloriā, & utilitatem recipi: sempiternam. Quæ rebus anteactis verē & fideliter posteritati mandandis, aliqua saltem ex parte iuuatur, & haud dubiè decoratur: & deniq; boni ciuis fuerit, ne res rerumq; & viorum nomina, scitu & memoratu digna, alto silentio aliquandiu inuoluta, temporis edacitate emarcescant. Tu nos nostrumq; hunc quantulumcunq; laborem, qui non solum ex nostris, sed exterorum etiam libris fideliter manuscriptis veracissimis constat historiis, gratia non inuidia dignior. rem puta; & negligendis tuis, carpendis vero alienis, non multo te semper habendum Scias prudentiorem. Vale.

Cracoviæ, XXVIII. Marchi 1603.

